

est, constituit, inquam, ordines in oblatione lignorum, ad fovendum ignem illum cœlestem qui perpetuo ardebat in altari. Vide annot. sup. 10, 54. PAMITIVIS, sub. constituit ordines,

mas inducit, innovat, et servandas curat. Librum hunc Vulgata claudit voce *Amen*, quæ tamen in Hebræo et Græco deest.

Debitas laudes Nehemias demergere religioni ducimus; laudes, inquam, quas sibi jure optime vindicavit, egregie meritis de religione ac de populo Domini, dignissimus proinde, cuius memoriam encomiis prosequamur. Dignum duxit S. Spiritus, quem cum cæteris magnis gentis Judaicæ viris speciali elogio donaret: *Nehemias in memoriam multo temporis, qui erexit nobis muros eversos, et stare fecit portas et seras, qui erexit domos nostras.* Postrema hæc verba spectasse videtur Josephus scribens, Nehemiam suis sumptibus ædificasse domos illi qui sedem Hierosolymis elegerant. Adhuc, ingenio fuisse ad justitiam et virtutem veluti à naturâ formati, dignamque generoso animo liberalitatem exercuisse. Pio ardori suo parem sapientiam et constantiam in eo exhibuit, quod mœnia urbis restituere aggressus, nequequam repugnantibus adversariis. Coeptum opus tantæ animi constantiâ et virtute promovit, ut invidiam adversariorum deiecerit ac superârit; Deoque largiente brevi ad eod tempore spatio absolutum vidit, ut prodigium intercessisse plures suspicentur. Quam constans ille adversus vim locupletum, atque auctoritatem primorum inter sacerdotes, eam id postulare et Dei gloriam et honorem sacerdoti censuit! Quam liberaliter indigenti populo condonavit debita præfectoris suæ stipendia, et quæ postulare videbantur sumptus quos pro populo erogare cogebatur! Quam

id est, quæ offerri debent Deo RECORDARE MEI, vel, *Memento horum omnium mihi*, id est, in gratiam mei. In DOMUS, id est, postea beneficias mihi.

prudens abolendis criminibus, quæ adversis legem gliscebant! Quam pius in restituendo cultu Domini, curandâque sacrarum ceremoniarum observantiâ! Patriæ studium inter presentis solummodò temporis fines non claudatur: posteris etiam consulit, collectâ sacerorum voluminum atque annalium bibliothecâ, quibus posteritas doceretur, optimè noscens, inter calamitates imperio periculosissimam summam esse religionis ignorationem.

Si politicæ ejus virtutes Nehemiam inter summos reipublicæ Judaicæ viros collocant, affirmari pariter jure merito potest, cæteris virtutibus, quas vocant morales, perfectum animo Israelitam fuisse formatum. Quis minus superbus, meritis suis minus fidens, quis mitior aut patientior? *Memento mei, Domine, juxta opera eorum (adversariorum) talia. Recordare, Domine Deus meus, adversum eos qui pollutant sacerdotium, jusque sacerdotale et leviticum.* Et alibi: *Memento mei, Deus meus, in bonum, secundum omnia quæ feci populo huic.* Equè mirabilis est spectatâ Nehemias cum Jesu Christo similitudine, qui sanctorum omnium exemplar, et figurarum omnium veteris Testamenti finis est. Nehemias Hierosolymæ restaurator, et alter conditor inextinctæ urbis, morum populi sui reformator, juris sacerdotalis patronus, novi fœderis sequester, pressus populi Dei, tyrum gerebat vivanque imaginem Jesu Christi, qui eadem, sed perfectius et sublimius, Judæis et Ecclesiæ beneficia, quæ Nehemias Judæis et sacerdotibus Hierosolymitanis præstitit. (Calmet.)

IN TERTIUM LIBRUM ESDRÆ

Dissertatio.

Duo postremi libri Esdræ nomine inscripti, communi Ecclesiæ Latine consensu, nostrâ ætate, inter apocrypha rejiciuntur. Nihilò tamen minus ad eod remota vetustatis sunt, tamque frequentè à Patribus Ecclesiæ laudantur, ut eorundem Patrum de illis opinionem in examen revocare operæ pretium duxerimus, adjectâ insuper disquisitione de auctore, tempore scripti operis, et de iis, quæ majoris momenti in historia occurrunt.

De tertii Esdræ auctoritate Ecclesiæ Græcæ à Latina discrepat; Græci enim eadem veneratione, quâ duos priores, hunc recipiunt.

Exemplaria Græca vetustissima et probatissima, veluti Romanum, ita seriem librorum constituunt, ut primo loco tertium librum Esdræ præ se ferant, secundus Nehemias, tertius primo Esdræ locus detur. Alius quidem ordo in nonnullis Græcis editionibus servatur (1), ut tertius Esdræ seorsum positus sit post Canticum trium purorum in fornace, et ante Sapientiam Salomonis; in aliis itidem Græcis idem liber omnino desideratur. (Edit. Aldi Venet. anno 1518.) Verum

(1) Edit. Græc. Francofurtian. 1597, et Basileens. an. 1543.

extra controversiam positum est, ut Sixtus Senensis l. 4, c. 8, animadvertit, Patres Græcos tertium Esdræ, ante Nehemiam constitutum, tanquam canonicum habuisse.

Neque magis quam apud Græcos editiones, in veteribus manuscriptis et editionibus Latinis eâ de re constat. In nonnullis manuscriptis (1) primus Esdræ, Nehemias, secundus Esdræ (ita, quem nos tertium, appellant) sibi succedunt. In aliis tertius Esdræ omnino desideratur. Alii vetustiores codices in novâ editione S. Ambrosii Admonit. in lib. Ambros. de Bono montis, laudati, multò magis etiam à nostris editionibus recedunt. In vetustissimo manuscripto S. Germani à Pratis, post duos libros canonicos Esdræ unâ serie continuatos, succedit historia trium custodum corporis Darii, et problema ab iis regi propositum. Deinde statim sequitur initium quarti Esdræ in hæc verba: *Incipit liber Esdræ prophetae secundus*; cui post duo priora capita jungitur tertius Esdræ, exceptâ historiâ trium corporis custodum Darii; tum quartus Esdræ resumitur, hoc titulo: *Liber Esdræ quartus.* Anno trigesimo ruinæ civitatis, eram in Babylone ego *Salathiel, qui et Ezra*; ac deinceps ad finem usque. In alterum incidit, notatum 1775, in quo Esdræ quartus à capite tertio exorditur.

D. Faber, Ludovici XIII præceptor, quartum librum Esdræ magnoperè ab impressis discrepantem invenerat, cujus variantia ad cardinalem Baronium censuit transmittenda. In veteribus Bibliis Latinis impressis plerumque tres libri Esdræ ordine adscribuntur; ita ut primo Esdræ succedat liber Nehemias, ac deinde tertius, vel, ut nonnulla ferunt exemplaria, secundus Esdræ. Is ordo mansit usque ad Biblia Sixti V, ex quo tempore tertius et quartus extra ordinem canonicorum amandati sunt.

Apud Hebræos duo priores Esdræ, vel, si mavis, primus Esdræ et liber Nehemias unicum librum constituunt. Paria Græci servant: in eo tamen dissident quòd primus Esdræ in exemplaribus Græcis, et in pluribus Latino-rum is est, qui apud nos tertius appellatur. Eum ordinem Patres sequuntur, quemadmodum satis intelligimus ex Origene in fine Homiliæ nonæ in Josue, Pseudo-Athanasio in Synopsi, ex S. Augustino (2), et S. Cypriano.

(1) Manuscrip. Monasterii S. Michael. in Lotharing. Item duo alia S. Germani à Pratis.
(2) August. lib. 18 de Civit. Dei, c. 56: *Nisi forte Esdras in eo Christum prophetasse intellegendus est, quòd inter juvenes quosdam ortâ*

no (1), qui duo postremi problema trium præfectorum Darii tanquam à vero Esdrâ descriptum laudant. Laudat et S. Athanasius, seu auctor Synopsi, de quo nihil est quod miremur, cum recepta satis apud Græcos opinio, et probatissima illorum ac vetustissima exemplaria idem problema in primo libro legant. Legebat et Josephus historicus Antiqu. c. 11, c. 5, omnibus iis Patribus vetustior: quare constitutum habeamus oportet, ante versionem S. Hieronymi tertium librum Esdræ in universâ Ecclesiâ canonicum reputatum fuisse, eam ante id tempus vel exemplaria Græcæ, et in hebraeo primus locus huius libri datur, vel soltem Latina versio ex Græcâ, in usu essent. Cum verò Patres et concilia priorum seculorum (2) geminos libros Esdræ in Canone recensent, id intelligamus oportet de primo Esdræ et libro Nehemias in unum eundemque librum continuatis, et tertio Esdræ, quem ipsi primum constituebant.

Solemne est etiam PP. Græcis (3) et Latinis (4), ut quem nos tertium Esdræ dicimus, contra hæreticos, et in asserendis fidei dogmatibus constantissimè laudent. Denique cum hic liber nihil ferè contineat, præterquam historiam in primo libro narratam, paucis mutatis, adjectâ solum narratione problematica à tribus corporis custodibus Dario propositi, 3 Esdr. 3, 4, 5, arduum planè videtur ad apocrypha prorsus rejici debere opus, quod certè totius Ecclesiæ Græcæ consensu probatum est. Ad hæc, nihil habet fidei et bonis moribus absonum; et historiam problematicis suffragio suo tanquam veram assertamque recipiunt Patres, et vetustissimi plures, recentioresque scriptores ecclesiastici. Hæc omnia Genebrardo persuaserunt, ut pro auctoritate ejus libri certaret, in Chronico ad annum 3750, pag. 93, 96. Hebræi quidem è cœtu protocanonico-rum hunc librum arcent; tamen inter deutero-canonicos summo assensu recipiunt. Hæc in libri favorem congeri potuerunt.

questione quid amplius valeret in rebus, cum regem unus dixisset, alter vivam, tertius mulieres, idem tamen tertius veritatem super omnia demonstravit esse victricem.

(1) Epist. 74 ad Pompeian. : *Apud Esdræm veritas vincit.*

(2) Conc. Carth. 5, c. 47; Canon. Apostol. can. 83; Laodiceen. can. ult.; D. August. de Doct. Christ. l. 2, c. 8; Innoc. I; Ep. 3, art. 7.

(3) Athanas. Orat. 3 contra Arianos, Justin. Martyr. Dialog. cum Tryphon. pag. 207, et alii passim.

(4) August. lib. 18 de Civit. c. 56. Cyprian, ad Pompeian.

Verùm Ecclesiæ Latinæ auctoritas opus rejecit, apocryphum pronuntians: quod satis esse censendum est, ut de ejus auctoritate questio insti non neutiquam possit. An Græcorum opinio moribus tanquam lege ducatur, præsertim repugnante concillii Florentini sanctione, quâ unis libro Esdæ et libro Nehemiæ auctoritas asseritur? Veterum Patrum plerique, qui librum tanquam canonicum laudaverunt, ignorare poterant; et facile etiam ignorarunt, illum magnoperè ab Hebræo textu discrepare; quod si novissent, multo cautiore fuissent, ne opus reciperent, toties professi, nullum à se probari librum, quem canonicis Hebraicis auctoritas respueret.

His rebus instructissimus S. Hieronymus, de hoc libro pronuntiat, Epist. ad Dominion. et Rogatian. « Nec apocryphorum tertii et quarti Esdæ somnis delectetur. Quæ non habentur apud illos (Hebræos), nec de viginti quatuor senibus, sunt procul abicienda. Si quis autem septuaginta opposuerit Interpres, exemplarium varietas ipsa esse læcæta et inversa demonstrat. Neque potest utique verum asseri, quod diversum (Inconstans sibi) est. » Agnoscit ergo S. Hieronymus, tertium hunc librum à Græcis probari; ipse tamen tanquam à textibus Hebraicis fide aberrantem penitus rejiciendum censet. Licet autem alia suspitionis causa non esset, invidiæ in illum creandæ satis haberetur problema regi Dario propositum. Totam hanc historiam, ad arbitrium confectam, plura veritatis historiae Esdæ repugnancia continere, infra demonstrabimus.

Quod ad auctorem tertii Esdæ spectat, vetustissimum esse, quamvis ignotum, ex eo constat, quòd Josephus, et vetera Græca exemplaria historiam problematicam in eo libro relatum legant. Judeum Hellenistam credimus, qui fabellis pluribus adjectis, et Zorobabelis gloriam augere, et lectorem rerum varietate delectare voluerit. Noluerim ergo viram doli mali in his quæ addenda de suo censuit, accusare; potuit enim fieri, ut constanti apud suos narratione acceptam, libro Esdæ, ratus se non nisi verum scribere, fabellam hanc adjuverit. Sed narrationibus hisce popularibus veritas non semper est comæ, quæ intermixta veris rerum eventibus plurium fabularum accessione auctoritatem minuunt. Ita in re præsertim contigisse reputandum est: mendacium ultrò se prodit, quem admodum infra demonstrabimus; et in eo

sanè auctor damnandus, quòd corruptis pluribus veri Esdæ locis fabellam suam assererit, ne quis unquam fraudem subodoraretur.

Continet ergo liber descriptionem solemnem Paschatis sub Josiæ celebrati, 3 Esd. c. 1. Ad dicitur deinde Josiæ obitus, cæterorumque deinceps regum, usque ad eversionem Hierosolymæ, historia. Hæc omnia è duobus posterioribus capitibus Paralipomenon derivata sunt. Secundum caput narrat historiam solute, Cyro auctore, captivitatis Judaicæ, vasorumque sacrorum restitutionem; tum quam multis conatibus hostes Judæorum templi ædificationem oppugnaverint. Addit Judæorum ad Artaxerxem, et Artaxerxis ad Judæos epistolam (1). In tertio capite, Darius regio convivio excipit aule suæ optimates, Mediæ pariter et Persidis magistratus, additis præfectis 127 ditionis suæ provinciarum. Cùm verò rex largiori cibo recreatus in somnum resolutus dormiret, tres corporis custodes, qui excubias agebant, proposito problemate, constituto etiam victori præmio, quale à rege traderetur, se invicem provocarunt. Qui enim, inquebant, ingenio vicerit, ille purpurâ vestietur, aureo poculo potabit, aureo lecto cubabit, deductusque in curru magisterio, equis auro phaleratis, aureo pariter torque, et *Cydari*, capitis integumento nonnisi honestissimis concessio, ornabitur. Locus etiam illi erit sub Dario, et regis necessarius appellabitur. Eâ igitur spe definiti, unus singuli problema scriptum, annuloque obsumatum sub regis pulvinari deposuerunt. Prior tuebatur, vinum esse omnium fortissimum; alter regem; tertius feminas, veritatem tamen omnibus præstare affirmabat. Experrectus demùm rex singulorum scripta tenuit.

Convocatis igitur omnibus aule optimatibus, et provinciarum præfectis, in eo cœtu lectum est singulorum problema, tum jussu stare singuli, quid pro suâ quisque sententiâ afferrent, auditi. Primus pro vino disserens, ejus vim super mortalium mentes ostendit: vinum miseriarum sensum hebetat, hilaritatem, alacritatem, animi robur, liberalitatem conciliat, nec rarò furorem incendit. Alter proximè succedens, potentiam regis, mari æquæ et terris imperantis, verbis extulit, cuius nutu tremerent gentes, cuius armis cacu-

(1) Secundum caput usque ad v. 14, idem est ac primum caput primi Esdæ, et à v. 14 usque ad exitum convenit cum quarto primi Esdæ v. 9, etc.

men suum montes demitterent, clate turres et moenia deprimerentur, omnia cædibus, sanguine et terrore replerentur; isque vicissim indulget, confirmat, tuetur. Subjecta illi gentes laborum suorum tributa certatim afferunt, hostes verentur, orbis universus in obsequium inclinatur.

Tertius successit Zorobabel, qui feminarum potestatem pluribus commendavit; illis enim, inquit, subjecti sunt vulgares æquæ ac reges; illis pusilli æquæ ac summi viri originem suam ferunt accepto; ac tandem quicumque vineam colunt, vitiumque bibunt, ablatis feminis esse non potuissent. Unde vestes, et pretiosa quæque ornamenta? An non mares, relicti patre, amicis, patriâ, feminas adherent? Mulierum beneficio feroces animi mitescunt; effrenes quique ad officium redeunt. Reges ipsi, quamvis cæteris dare jura noverint, quandoque à feminâ, quam depercut, se superbè tractari ferunt patienter. Vidi ego Apemem filiam Bezacis, quæ dexterâ regis assidens, ex ejus capite detractum diadema suo imposuit, regemque ipsum lavâ manu blandè percussit.

Verùm, ait ille, quamvis femina potens sit, multò tamen mulierum blanditiis validior est veritas, cui gentes omnes parere, quam invocare singuli noverint; cœlum veritatem commendat, terra timet, et colit. Vinum, rex, et mulieres possunt quandoque ad scelera et licentiam excurrere: incorrupta semper æternumque manens veritas; neque enim fugaci virtute pollet, nec vicissitudinibus obnoxia est. Nunquàm illi uni magis quam alteri favet injustè, semper in judiciis rectam æquitatis lancem servans. Ex eâ vis, decor, omnium seculorum potentia. *Benedictus sit Dominus veritatis.* Excepta est summo auditorum plausu hominis oratio, clamantibus cunctis: *Magna est veritas.*

Tum rex causæ victoriam disserenti pro veritate adjudicavit; eumque non iis modò, quæ sibi certantes sponponderant, præmiis cumulatum voluit, sed et quæcumque posceret, omnia se daturum pollicitus est. Tum Zorobabel in genua provolutus rogavit, ut Darius meminisset voti, quo se olim, antequàm regnum capesseret, obstrinxerat, restituendi scilicet templi, ab Idumæis (cùm urbs à Chaldeis expugnaretur) incendio vastati; ut et remittendi vasa sacra, à Cyro, Babilone capta, ut Hierosolymam referrentur destinata; id autem adjectis se ejusvis præmii loco habiturum. Supplicem complexus Darius, postu-

lata concessit, præfectis provinciarum Trans-euphrateis jussis, ne grave quid in Judæos tentarent, sed quietam regionis suæ possessionem immunemque relinquerent; quin et Idumæos, urbes, quas olim occupaverant, vacuas illis remittere cogere; curantem insuper, ut necessaria à Libano materia Hierosolymam veheretur, quæcumque ad victum et vestes sacras Levitarum et ministrorum templi requirerentur, sufficerent, donec urbs et templum absolverentur. Adjectis insuper, ut viginti talenta è regio censu quotannis ob instaurationem templi promovendam penderentur, et alia decem ad sumptus jugis sacrificii, matutini scilicet et vespertini. Præterea esse voluit Judæis privilegium perpetuæ libertatis, tum et urbis metropolis restituendæ. His privilegiis auctus Zorobabel, Hierosolymam veniens, nihil antiquius habuit, quàm ut de omnibus regio provinciarum præfectos faceret certiores; secum reducens duos et quadraginta millia, trecentos et quadraginta Judæos, additâ innumerâ servorum multitudine. Hæc epitome capitum 3, 4, 5, tertii Esdæ, simulque eorum, quæ pariter in toto libro majoris momenti occurrunt, eorum denique, in quibus potissimum à primo libro Esdæ hic tertius discrepat.

De universâ hæc trium corporis regii custodum historiâ hanc sententiam ferimus. Primò plurimum abhorret ab historiâ genuinâ Esdæ, in libris Hebræorum, et in exemplaribus canonicis relatâ. Si Darius Judæos unâ cum Zorobabele Hierosolymam remittens, regias pro illis litteras ad præfectos Trans-euphrateos dedisset, nunquàm illi interrogatum venissent Judæos, quâ potestate restituendum templum susceperint. Nota illis fuisset regia edicta, quibus pariter impensas in idem opus sufficere cogebantur. Cur etiam novam hæc facultatem non produxit Zorobabel, 1 Esd. 5, 13, potius quàm veterem à Cyro datam? 2^o Ponit scriptor, Zorobabelem neque reducem, neque reducem gentium suorum, cùm primò à Cyro facta est redeundi facultas, ducem fuisse. Eoquem illum? Salmanasarum, Judææ præfectum, 3 Esd. 2, 15. Omnino præter veritatem, 1 Esd. 1, 3^o Altaris consecrationem, 3 Esd. 5, 48, etc., ac restitutorum sacrificiorum epocham post Zorobabelis reditum secundo Darii anno rejicit; cùm genuinis Esdæ hæc omnia post septem menses, sub ipso Cyri regno, ante intermissam templi ædificationem jussu Artaxerxis, facta commemorat.

4^o Silet epistolas à præfectis Transeuphrataeis ad Darium datas, quibus permotus rex quæri in archivi edicti Cyri pro Judæis exemplar jussit, eoque invento, intermissum opus resumedi permisit, 1 Esd. 5, 6; 6, 1, etc. 5^o Duo insuper auctor, fide suâ tantum asserta narrat: primum Zorobabelem inter corporis regii custodes Babylonis versatum eo tempore, quo certè Hierosolymis erat, 1 Esd. 5, 2: alteram nihilò meliori fide assertum, Darium ante initum regnum voti religione interpositâ promississe, templum Hierosolymitanum à se restitutum iri. Id si cum veritate constat, cur executi plateos jussit, ut certior fieret de permissâ à Cyro ejus rei facultate? 6^o Darii beneficium concessam Judæis assertit ab omnibus omnibus immunitatem, cum tributis oppressos Hebræos ex Nehemiâ noverimus, 2 Esdr. 5, 4; 9, 17. 7^o Nehemiam et Athersatham tantquam duos viros distinguit, cum Athersatha non viri, sed officii, pincernæ scilicet, quo Nehemias apud Artaxerxem fungebatur, nomen sit. 8^o Putidum est mendacium, sibi que repugnat, quod ab auctore assertit de Zorobabele Darium rogante, ut Hierosolymam remittat sacra vasa quæ olim Cyrus mittenda paraverat (1), quasi Cyrus nihil remisisset; cum planè oppositum apud Esdram et ipsam etiam hujus libri auctorem legatur. Idem invidiâ incensi templi, quâ certè liberandi videntur, onerat. 9^o Omnem chronologiæ rerumque ge-

(1) 5 Esdr. 4, 44: *Omnia vasa remittete, quæ separavit Cyrus, quando maciavit Babyloniam, et voluit ea remittere.* Vide et v. 37.

starum ordinem turbat, volens singula in historiâ Esdræ narrata colligere. Ad calcem postremi capitis rejicit historiam nonnisi sub Nehemiâ, cujus tantum in libro legitur, consignandam. 10^o Præsidium mille equitum Judæis à Dario assignatum narrat, quibus tutum illis iter Hierosolymam pararetur; quasi scilicet quinquaginta circiter hominum millibus aliquid timendum fuisset. 11^o Universæ tandem historiæ suæ fabulæ suspicionem creat, cum tres illos viros munera sibi destinasse refert, quasi necessitatem regi imposituros, ut problematis victorem constituto ab illis præmio remuneraretur. Quodnam illud summum planè, et immodicum: quid enim aliud sperare potuisset supremus exercitus imperator, post adjectas regno provincias, et confectam gloriosam aliquam expeditionem? Quæ deinde vera in libro referuntur, vel saltem quidquid verum et argumenti connexionem constans est, totidem penè verbis à primo Esdræ derivatur, ut proinde illud recitare opus non sit. Persuasum igitur habemus, auctorem ejus libri Judæum aliquem Hellenistam esse habendum, qui historiæ problematis fidem conciliaturus, opportunum censuit, ut veri Esdræ narrationem suæ annecteret. Cum verò majus esset quam pro ejus viribus opus, in aperta mendacia identidem labitur, quod in causâ fuit, cur jure meritoque ab Ecclesiâ rejiceretur, textus Hebræi, cujus apud Hebræos usus, et veterum exemplarium Græcorum fidem secuta, in quibus nihil ejusmodi legitur (CALMET.)

IN QUARTUM LIBRUM ESDRÆ

Dissertatio.

De quarto Esdræ non eadem sedet omnibus sententia. Ecclesiâ ejus verba in ecclesiasticis officiis usurpans, probare videtur. Introitum feriæ tertiæ Pentecostes ex hoc libro, 2, 36, 37, derivavit: *Accipite jucunditatem gloriæ vestræ.... Commendatum donum accipite, et jucundamini, gratias agentes ei qui vos ad celestia regna vocavit.* Et in officio paschali Martyrum: *Lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis,* 4 Esd. 2, 35. Et: *Hi sunt qui mortalem tunicam deposuerunt... modò coronantur, et accipiunt palmas,* 4 Esdr. 2, 45. S.

Barnabas hæc verba tantquam auctoris sacri laudat: *Et quando hæc consummabuntur? et dicit Dominus: Cum lignum inclinatum fuerit, et resurrexerit, et cum de ligno sanguis stillaverit* (1). Eò spectare pariter S. Joannes Apoc. 6, 9, visus est: *Vidi subitis altare animas interfectorum propter verbum Dei... et clamabant voce magnâ, dicentes: Usquequò, Domine, sanctus et*

(1) Quod legitur in 4 Esdr. 5, 4. Item citatur ab auctore Comment. in Marc. inter opera S. Hieronymi. et in tract. cui titulus est: *Testimonia de adventu Domini in carne, inter opera Greg. Nysseni.*

verus, non judicas, et non vincetas sanguinem nostram? Confer hæc Apostoli verba cum 4 Esdræ 4, 55: *Nonne de his interrogaverunt animæ justorum in promptuariis suis dicentes: Usquequò spero sic? Et quando veniet fructus arce mercedis nostræ? Facilius tamen crediderim, non Esdræ ab Apostolo, sed Apostolum à Pseudo-Esdrâ spectatum fuisse.*

Veteres PP. Græci et Latini, non sine elogio auctoris divino Spiritu afflati, idem opus laudârunt. S. Ambrosius de Bono Mortis cap. 10, n. 45, sententiam ex eo, tantquam è libris Esdræ derivatam, idcirco se laudare profiteatur, ut intelligant profani, quæcumque habent in libris suis probata, nostris libris debere. Et infra cap. 11, n. 51, ait, Apostolum non Platonis, sed Esdræ divino Spiritu afflati dogmata esse secutum; quo beneficio, inquit, Esdras multò superior philosophis omnibus habendus est. Paria scribit pluribus in locis (1); at in Epist. 38 ad Horontianum lectionem ejus libri suadet, ut anima præstantioris esse, quam corpus, naturæ intelligatur. Ubique Esdræ non sine sacri auctoris elogio commemorat.

Tertullianus idem opus, sed nomine et elogio suppresso, tantquam sacram Scripturam laudat. Tertull. de Præscript. initio hæc citat: *Oculi Domini, alti, ex 4 Esdr. 8, 20, et contra Marcion. lib. 4, illud: Loquere in aurea audientium, ex 4 Esdr. 15, 1.* Differt quidem nonnihil Vulgata, sed sententiam tenet S. Clemens Alexandrinus, Strom. lib. 1, Daniels vaticinium exponens, Esdræ testimonio utitur, quod tamen frustra in Esdrâ quæras. En autem ad litteram: *In Esdrâ scriptum est: Et sic fuit Christus, dux Judæorum, cum impleta essent septem hebdomades in Jerusalem, et in sexaginta diebus hebdomadis quiescit universa Judæa, et fuit absque bellis, et Dominus noster Christus sanctus sanctorum cum venisset, et visionem impleret, et Prophetam, in carne unctus est Patris sui Spiritu.* Eundem etiam scriptorem unâ cum Jeremiâ, tantquam auctoritate pares, alibi laudat. Strom. lib. 4, ex 4 Esdr. 5, 35. Pseudo-Athanasius in Synopsi canonicos libros recensens, hunc præterit; illud tantummodo, post laudatos duos alios Esdræ libros, addens, memoriæ proditum esse, Esdræ servasse simulque in publicum protulisse libros sacre Scripturæ: quod tamen non ex suâ, sed ex vulgi sententiâ, è nullo alicujus momenti libro expressâ, retulisse

(1) Ambros. de Spiritu S. lib. 2, orat. in obitu Satyri fratris cap. 7.

S. S. XII.

videtur. Auctor operis imperfecti in Mathæum (1) hæc habet: *Dicit enim Propheta Esdras, omnium Sanctorum numerum esse quasi coronam.*

Ea tandem sententia, quæ olim S. Cypriano (2) aliusque placuit, de imminenti orbis exitu, è quarto Esdræ, tantquam canonico, derivata fuisse videtur. Nec aliunde pariter accepta est eorum sententia, qui Esdræm dictasse iterum, et restituisse sacras Scripturas adfirmârunt (3); neque enim alibi unquam, quam in libris Esdræ paria leguntur. Genebrardus, qui opus illud vindicandum suscepit (4), auctor est, Pico Mirandulano servari manuscriptum Hebræicè inter duo et septuaginta de scientiâ rerum occultarum, quos idem Esdras dictasse se profiteretur. S. Hieronymus, tertio et quarto libris Esdræ certè infensus, ejus tamen auctoritatem penitus rejecisse non videtur in libro adversus Helvidium: *Sive Mosem volueris auctorem Pentateuchi, sive Esdræm ejusdem instauratorem, non recuso.* His omnium rationibus hujus operis auctoritas fulcitur.

His omnibus unicum argumentum, sed peremptorium opponimus; nimirum Græcorum et Latinorum omnium suffragio è canone excludi. Rejicit auctor Synopsis, rejiciunt Patres, et concilia, in quorum catalogo nonnisi duo libri Esdræ commemorantur. Tandem Hieronymus stylo censorio duos postremos Esdræ configit in Præfatione; Ep. ad Dominion. et Rogatian. pariterque in opere adversus Vigilantium hæc habet: *Tu Vigilans, dormis, et dormiens scribis, et proponis librum apocryphum, qui sub nomine Esdræ à te et à tui similibus legitur* (5). Addit deinde, nunquam se idem opus legisse: cur enim librum ab Ecclesiâ reprobatum legeret?

Nec parùm ejus damnationem comprobata hujus libri apud Græcos obliuio, apud quos nulla suppetunt ejusdem operis jamdiu à pluribus annis exemplaria; quanquam à veteribus Patribus Græcis laudabatur: Latinorum

(1) Auctor operis imperfecti in Mathæ. Hom. 54, ut videtur ex 4 Esdr. 5, 42; vel fortè legendum, *Propheta Esaias, ex Isai. 28 et 42, 3.*

(2) Cyprian. ad Demetrian. circa initium: *Vide, si placet, 4 Esdr. cap. 5.*

(3) Vide nostr. Dissert. in idem. argumentum.

(4) Vide Geneb. in Chron. lib. 1, ad an. 3750 et 4 Esdr. cap. 14, 46.

(5) Laudaverat Vigilantius testimonium ex 4 Esdr. 7, 36, 44.

verò de illo neglectus ex eo potissimum colligitur, quòd rarò in vetustis exemplaribus ac manuscriptis occurrat (1). Hæc omnia non obscuro planè argumento demonstrant plurimum seculorum eâ de re sententiam; si quos autem veteres Esdræ nomen in errore adduxit, is tamen error brevè correctus est.

Non semel Genebrardus in ejus libri vindictis fallitur. Primò errat, cum apud Picum Hebraicum ejus libri exemplar servari tradit; laudat enim Picius in Apolog. tantummodò quartum Esdræ, cujus auctoris Hebraicum exemplar septuaginta librorum de scientiâ occultâ, quos Esdras se dictasse profiteretur, habere se tradit. Secundò temerè duos et septuaginta libros numerat, ut congruunt conficto ad arbitrium numero Patrum magnæ Synagægæ, quorum dogmata Esdræ totidem libris complexum esse narrat. Inter hos libros quartum Esdræ recenset; quanquàm eâ de re nihil apud Picum, qui potius contrarium docet, laudans librum Esdræ veluti auctoritatem conciliaturus suis libris de scientiâ occultâ Hebræorum. Esto verò inter eos libros suos locus quarto Esdræ sit: an idcirco canonicus erit ac divinus? Quid de Cabbalâ et scientiâ occultâ Hebræorum sentiendum sit, quis ignorat?

Illud verò quàm maximè veritatis amatores impellet, ut hunc librum rejiciant, quòd erroribus scateat. Animas sanctorum in inferis detineri, donec numero justorum absoluto dies judicii succedat, post quem omnes animæ libertati restitendæ sint, impiissimè asserit 4 Esd. 4, 41, 42. Diem judicii coronæ sive annulo comparat, in quo nequè caput, neque finis. Ita omnes simul animæ in felicitatem æternam recipiunt; primæ juxta et postremæ omnes simul ingredientur, alterâ alteram ne gradu quidem præcedente ibid. c. 5, v. 22. Ridicula sanè est capitis sexti fabella de creatis sub ipsum mundi exordium duobus immanibus monstris, quorum alteri nomen Henoch, alteri Leviathan. Cum autem ambo simul intra septimæ partis terræ spatium contineri non possent, Deus utroque segregato, Henochum in tractu terræ septies mille montibus aspero collocavit, Leviathanum verò in mari constituit, ubi servatur, esca in convivio electis demùm instruendis futuras. Hæc de Rabbinoorum traditione derivata sunt. Sententiam hujus auctoris de proximè imminenti die

(1) Rarissimum est in antiquis manuscriptis. In editionibus ante Noribergensem 1521 non legitur.

judicii, uti et de transmigratione decem tribuum in regionem Arsareth, ac denique destructione sacrarum Scripturarum per Esdræm, recitavimus, in dissertatione de Regione, quò decem tribus sese receperunt.

Omnia accessionem errorum facit genealogia Esdræ in exordio operis deducta, quæ ab Aaron per 14 generationes ducitur; quâ in re neque cum tercio, nec cum primo satis convenit. Hæc inter utrumque librum discrepantia suspicionem nonnullis veterum induxit, utriusque auctorem nomine quidem eundem, re tamen alium fuisse. Vetus manuscriptum Albatæ S. Germani, hujus quiriæ libri auctorem in exordio ejusdem libri, quod in impressis capite tercio legitur, Salathielem appellat: Anno trigesimo (scilicet anno mundi 5446) ruina civitatis, eram in Babylone, ego Salathiel, qui et Esdras, etc. Verum ejusdem operis auctor ipse genuinum Esdræm se vendit in fronte capitis primi, ubi genealogiam suam per Eleazarum-filium Aaronis ducit.

Putido sanè mendacio asserit cap. 4, 11, Deum populi sui, nuper ex Ægypto egressi, rebus consulturum, duas provincias Tyri et Sidonis dissipasse: In Oriente provinciarum duarum populos Tyri et Sidonis dissipasse; et paulò infra v. 22, 25: In deserto, ait, cum essetis in flumine Amorrhæo sitientes, et blasphemantes nomen meum, non ignem vobis pro blasphemis dedi, sed mittens lignum in aquam, dulce feci flumen. Semel et iterum meminit prodigii, cujus ne verbum quidem apud Moysen, nisi fortè planè diversa ab illo misceri maluerimus, nempe correctum saporem aquarum in Mara, paulò post egressum ex Ægypto, Exod. 15, 24, et alterum prodigium ad torrentem Arnon, in finibus Amorrhæorum, Num. 21, 16. In cap. 4, 59, duodecim Prophetas minores commemorat, quorum nonnulli, uti Aggeus, Zacharias et Malachias, nonnisi post exitum captivitatis munus suum exercuerunt, seriùs proinde quam id temporis, quo suum vaticinium exercitum statuendum esse docere videtur 4 Esd. 3, 4. In iis etiam Prophetis ordine recensendis Græcos sequitur diverso planè ordine ab eo quem in Hebraicis voluminibus habemus.

Iter suum nescio quod ad montem Orebam cap. 2, 55, innuit, quod sanè iter in eundem esse nec ratio ulla suadebat, nec successus alquis posteritatis memorie commendari jubebat. Supremi judicii jam imminenti vicies meminit; uti eum ex duodecim partibus, in quas omnem seculorum seriem distinguit,

decem et dimidiam ætate suâ, et jam ante captivitatem elapsas scribit cap. 14, 11, 12, quo ex tempore accuratè rationes ducantur; quamcumque demùm tempora supputandi rationem ineamus, debuit seculorum exitus jam inde à pluribus seculis adesse. Si vaticinia vendidit, vel præterita, vel ab aliis Prophetis jam prædicta pronuntiat. Ita alijs verbis, et sub allegoriâ aquilæ: è mari volantis, Danielis vaticinium ingerit. c. 11 et 12, 10, 11. Quam visionem suam in his verbis, quæ incautè tribuit Deo, claudit: Aquilam, quam vidisti ascendentem de mari, hoc est regnum, quod visum est in visione Danieli fratri tuo. Res erat planè non difficilis de rebus præteritis oracula fundere, et res antea gestas sub vaticiniorum specie inductis obtrudere. Aliud etiam viri commentum reputanda sunt ea quæ de arcâ Domini à Chaldeis captâ leguntur c. 10, 22: Arca Testamenti nostri direpta est; eum à communi Judæorum fato exemptam et in specu occultatam Jeremiæ Prophetæ cautione noverimus, 2 Mach. 2, 4.

Quod verò hujus auctoris singulare ingenium est, errorem ipse suum prodit æquè et cum vera et eum à veritate aliena commemorat. Adcò sine ambagibus de adventu Jesu Christi, ejusque obitu, et resurrectione loquitur, ut si vel ab Judæis vel à Paganis allicujus auctoritatis liber habeatur, actum de illis sit. Tam frequenter etiam sententiæ evangelicis similes recurrunt, ut alterutrum statuam oportet, sive nimirum libri auctorem ex Evangelio, sive ex illo Evangelium excerptis. Ita ait (1): Revelabitur Filius meus Jesus cum his qui cum eo sunt, et jucundabuntur qui relicti sunt in annis quadringentis. Et exit post quos hos, et morietur filius meus Christus, et omnes qui spiramentum habent homines. Et convertetur seculum in antiquum silentium diebus septem, sicut in prioribus judiciis, ita ut nemo derelinquatur. Et erit post dies septem, et excitabitur quod non dùm vigilat seculum, et morietur corruptum: et terra reddet quæ in eâ dormiunt, et pulvis qui in eo silentio habitat, et promptuarie reddent quæ eis commendata sunt animæ. Et revelabitur Altissimus super sedem judicii, et pertransibunt miseria, et longanimitas congregabitur. Judicium autem solum remanebit, veritas stabit, et fides convalescet.... Dies enim judicii erit finis temporis hujus, et initium temporis futuræ immortalitatis. Et cap.

(1) 4 Esd. 7, 28, etc. Vide etiam, si lubet, 8, 18, 20, 61; 9, 2, 3; 15, 37; 14, 10, 11.

2, 54. Expectate pastorem vestrum, requiem æternitatis dabit vobis: quoniam in proximo est ille, qui in fine seculi adveniet. Et de Martyribus v. 46. Et dixit Angelo: Quis est qui eis coronam imponit, et palmas in manus tradit? Et respondens dixit: Hæc est Filius Dei, quem in seculo confessi sunt. De gentium vocatione c. 1, 14, et 2, 9, ita loquitur, ut omnis prophetia: caligo absesse videatur. Paria de resurrectione mortuorum cap. 2, 51, et de peccato originis 7, 48, legas: O tu, quid fecisti Adam? Si enim tu peccasti, non est factus solus tuus casus, sed et noster, qui ex te advenimus. Sæpè verba Evangelii apertissimè spectat, ut 2, 25: Dabo tibi primam sessionem in resurrectione meâ; et v. 26: Servos, quos tibi dedi, nemo ex eis interiet. Et de præcursoribus diei ultionis hæc legas cap. 5, 9: Amici senectipos expugnabunt; et 6, 24: Debellabunt amici amicos ut inimici. Duplicis etiam vice meminit; angustioris alterius, alterius latioris, c. 7, 18; duodecim arborum fructibus onustarum totidemque fontium fluentium lacte et melle, c. 2, 18, nempe duodecim Apostolorum.

Est igitur cur hujus scripti auctorem Christianum aliquem, factiè ex Judæo, reputemus; qui reducere ad fidem Israelitis Jesu Christo repugnantes aggressus, librum ementio Esdræ nomine, ut venerationem illi conciliaret, proculd. Ut enim à Judæo scriptum censeamus, persuadent plura, in idem opus ex traditionibus Rabbiniis derivata; ut de Paradiso terrestri ante mundum condito, c. 3, 6; de Angelo Domini cum Malachia miscendo, c. 1, 40, de Leviathanò à Domino sub ipsum mundi exordium creato, cap. 6, 49, et alia sexcenta hujus saporis. Viri fides in Christum, et pro Judæorum conversione studium, ubique se prodiit. Vide insimulè cap. 8, 15, etc. Nihilominus à probe fidei Christiani alienum videtur, simplicitatem et æquitatem Evangelii pari fraude dolose corrumpere, ut in iis aribus Judæi ad saniorè mentem revocentur. Pia ille fraudes, salobrem decepto errorem ferentes, esto interdum permittantur; nunquam tamen nisi per summam audaciam, et contra præscriptas Christiano regulas id committitur, ut confictis ad arbitrium verbis sanctus Spiritus loquens inducatur, et commentitia oracula vendantur.

Credimus etiam non inviti, vixisse scriptorem sævientiùs adhuc primis adversus Christianos persecutionibus, eum de Martyribus, motique in verâ fidei assertores odiis sermo-

nam habet cap. 2, 54, et c. 6, et alibi. Objectum sibi per visum hominem narrat c. 13, 1, è mari emergentem, qui turbato universi ordine, è quatuor cœli ventis adversarios in se provocabat. Cæcidit ille sibi inivium et inaccessum montem, quò tutus ab adversariorum conatibus evasit; unde verò mons ille excitus prodierit, frustra quesitum est. Subeunt adversarios suos ille oris halitu dejecit. Tum hominum turbam pacis amantem ad se invitavit... *Ipsæ est, quem conservat Altissimus, qui per semetipsum liberabit creaturam suam... Ecce dies veniunt, quando incipiet Altissimus liberare eos, qui super terram sunt; et alii alios cogitabant debellare, civitatis civitatem, et locus locum; et gens adversis gentem, et regnum adversus regnum. Ipse autem filius meus arguet, quæ adinvenerunt gentes. Sermonem habet de bello et clade futurâ Judææ, multò quàm quæ sub Chaldæis contigit, tristori cap. 5, 2. Tunc, ait: De ligno stillabit sanguis, et lapis dabit vocem suam, et populi commovebuntur, et regnabit quem non sperant. Quid hic auctor inuat, apertissimè intelligimus. Exstat hic locus, tan-*

quàm à Propheta recitatus, in Epistolâ S. Barnabæ nomine inscriptâ, quanquàm sententia nonnihil à Vulgatâ discrepat: *Similiter iterum de cruce defuitur apud aliam prophetam, dicentem: Et quando consummabuntur? et dicit Dominus: Cùm lignum inclinatum fuerit, et resurrexerit, et cùm de ligno sanguis stillaverit. Non inviti suspicamur, fieri potuisse, ut epistolæ auctor, uti et scriptor libri sub Esdræ nomine vulgati, ex uno eodemque fonte, scilicet vel ex libro apocrypho, vel ex aliquâ traditione oraculum derivârunt. Si quis contendat, scriptorem epistolæ ad locum quarti Esdræ spectasse, novum ille habebit argumentum adversus epistolæ sinceritatem, tanquàm e mentito Apostoli nomine proçuse; vel saltem ætas auctoris libri quarti Esdræ cum initio, vel dimidio secundi seculi componenda erit. Porro hic auctor libri recentius, quàm sub exitum secundi seculi, nequaquam constitutus est, utpote cujus opus legerint S. Irenæus, Tertullianus, S. Clemens Alexandrinus, et S. Cyprianus, tertii seculi scriptores. (CALMET.)*

UTRUM ESDRAS SCRIPSERIT, AN RESTAURAVERIT LIBROS SACROS, Dissertatio.

Si quarti Esdræ asserta haberetur apud Ecclesiam auctoritas, nihil esset, cur honor restitutorum sacrorum Bibliorum Esdræ negaretur; apertior enim est ejus libri sententia, quàm ut per ambages aliò deflectatur. Accedit etiã consensus complurium Patrum et scriptorum ecclesiasticorum, quibus una sedit sententia, libros omnes veteris Testamenti ante captivitatem scriptos, cùm incendio sive ignoto alio casu periissent, ab Esdrâ, divino Spiritu afflato, iterum scriptis mandatos fuisse. Cùm verò hujus sententiæ auctoris fides deplorata sit in Ecclesiâ, nihil est cur eorum, qui illum seculi sunt, suffragium alicujus momenti habeatur; quin etiã perniciose ex illâ consecutiones faciliè deducendæ, in causâ fuerunt, cur nos, exemplum et auctoritatem præstantissimorum theologorum seculi, om-

nibus viribus refutandum commentum suscipiamus. Vide Bellarmin. de Verbo Dei. 2, c. 1; Natal. Alex. tom. 2, in Vet. Test. Marian. Victor. in Epist. 8; Hieron., ad Paulin. Valtton. Prolegomenon, etc.

Tres in eâ re sententiæ vulgò feruntur. Prima docet, Esdrâ sacros libros, qui captivitatis tempore prorsus intercederant, iterum scriptis mandasse, ac deinde posteritati tradidisse. Altera illum à communi ceterorum fato sacrum exemplar servasse, quod deinde, à se post captivitatem transcriptum, Hebræorum manibus commiserit. Tertia tandem, recen- suisse illum, et restituisse veteres codices, quorum verba, pro viribus ita servârunt, ut illis tamen non serviret; in unum etiã corpus omnia collegisse, cùm antea nullo inter se vincta federe jungerentur. Tres hæc sa-

sententiæ in eò conveniunt, Scripturas omnes divinas, sive unius, sive plurium opus habeantur, uni tamen esse sancti Spiritus operationi tribuendas; ut proinde nihil in libris canonicis habeatur, cui divina et infallibilis auctoritas desit.

Auctor quarti Esdræ fons est et unicum momentum opinionis de abolitione sacrorum librorum, eorumque, Esdrâ auctore, reparatione. Narrat ille cap. 14, 19, se, cùm fortè coram Domino esset, vocem invitantis audisse, quâ docere fratres suos jubebatur. Respondit ille: *Ecce ego abibo, sicut præcepisti mihi, et corripiam præsentem populum. Qui autem iterum veni, quis commonebit? Positum est ergo seculum in tenebris, et qui inhabitant in eo, sine lumine: quoniam lex tua incensa est, propter quod nemo scit, quæ à te facta sunt, vel quæ incipient opera. Si enim invenit in te gratiam, immitte in me Spiritum sanctum, et scribam omne quod factum est in seculo ab initio, quæ erant in lege tuâ scripta, ut possint homines venire semitam, et qui voluerint vivere in novissimis, vivant. Et respondit ad me, et dixit: Vadens, congrega populum, et dices ad eos, ut non querant te diebus quadraginta. Tu autem præpara tibi buxos multos, et accipe tecum Sareom, Dabriam, Salemiam, Echanum, et Aziel, quinque hos qui parati sunt ad scribendum velociter. Et venias huc, et ego accendam in corde tuo lucernam intellectus, quæ non exstinguetur quoadusque finiatur quæ incipies scribere. Et tunc perfectis quædam putam facies, quædam sapientibus abscondere trades: in crastinum enim hæc horâ incipies scribere.*

In frequenti ergo populi concione Esdras populo omnia exposuit, imperavitque, ne toto quadraginta dierum spatio quispiam ad se accedere auderet. Vocatis deinde viris in eam rem designatis, mane alterius diei vocem audit imperantis, ut aperto ore oblatum poculum hauriret. Ille ore statim diducto, aqueum liquorem, colore tamen igneo bibit: quo hausto, nimio veluti intelligentiæ æstu illius pectus exundabat, sapientiã mens redundabat, spiritum nunquàm memoria destituit, aperitque loquendo os nunquàm quievit. Eodem intelligentiæ spiritu quinque illi viri ab Altissimo donati fuere, qui dictantis verba ita excipiebant, ut ne obscuris quidem rebus scripta referendis deessent. Cibum ad noctem differrebant, cùm interim Esdras diu nocteque loqui nunquàm desineret. Ita spatio quadraginta dierum quatuor et ducenti libri scripto

exarati sunt. *Et cùm complexissent quadraginta dies, locutus est Altissimus dicens: Priora quæ scripsisti, in palam pone, et legant digni et indigni. Novissimos autem septuaginta conservabis, ut tradas eos sapientibus de populo tuo. In his est enim vena intellectus, et sapientiæ fons, et scientiæ flumen.*

An centum priores libri veteris Testamenti scripta, septuaginta verò reliqui libros novi Testamenti designent, ignoro. Illud constat, Patres et auctores ecclesiasticos sententiam inde suam de adornatis iterum ab Esdrâ sacris libris hausisse. Sententiam illorum, qui Esdræ et senioribus ejus ætatis Psalmorum collectionem tribuunt, cùm quisque ea, quæ memoriã tenebat, in medium conferret, apud Origenem legas in Hexaplis D. Bern. Montfaucon. S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 1, interdiscisse prorsus sacros libros in captivitate Babilonicâ putat, quos deinde Esdras Spiritu Dei afflatus restituerit. S. Basilus Magnus epist. ad Chilonem ostendi adhuc agrum in Judæâ narrat, in quem Esdras recuidentis sacris Scripturis in omnium gentium utilitatem secessit. Leontius, libro de sectis, act. 2, S. Isidorus, Origin. l. 6, c. 7, et recentiorum auctorum plurimi (1) idem huc visioni habuerunt, cujus unicum momentum est opinio de absumptis incendio sacris libris injuriâ Chaldæorum, vel saltem incuriã Hebræorum sive in exicidio Hierosolymæ, sive in captivitate Babilonicâ amissis: cujus opinionis levitatem infra arguimus. Optatus Milevitanus censet Antiochum Epiphaniem sacros libros igne abolevisse, quos tamen Esdras memoriã suggerente omnes reparaverit: « Ut per unum hominem Esdrâ tota lex, sicut antea fuerat, ad apicem diceretur, » Optat. l. 7. Sed crasso planè errore Esdras cum Antiochi Epiphaniis ætate componitur; faciliè autem illum fecellit secundus Machabæorum liber 8, 25, ubi Esdras pro Eleasaro legitur. Vel, si mavis, Esdrâ sub Machabæis florentem cum altero Esdrâ in captivitate Babilonica agente miscuit.

S. Basilus, cæterique Patres afflatum Esdrâ S. Spiritu, ut reparandis sacris libris par esset, post solutam captivitatem, et reditum in Palestinam statuant. Sed ex ipso auctoris textu planum est, vel saltem credulis lectoribus insinuat, opus ab eo susceptum in agro Babilonico, triginta annis ante exitum

(1) Raban. Maurus, Lyran. Genebr. Sixt. Senens. lib. 1, et Joan. de Ragusio, orat. habit. in Concil. Constant.

captivitatis. Vide 4 Esdr. 1, 44, etc., et 12, 40, etc., et 13, 1; simulque ex lectione veri Esdræ intelligimus, cum is in Judæam venit, Dei legem in manibus habuisse. Ita enim ad illum Artaxerxes 1 Esdr. 7, 14: *Missus es ut visites Judæam et Jerusalem in lege Dei tui, quæ est in manu tuâ.*

Reliqui verò Patres, hinc textûs evidentia, et auctoritate quartæ Esdræ, quem librum suscipiunt et observant, permoti; inde veritè, ne ex priore sententiâ suspicionis aliquid perniciose creetur; persuasi denique, sacros libros nunquam penitus interdixisse, mediam sententiam elegerunt, rati, Esdræ sacros libros reparasse simul et vulgasse, non quidem iterum procusos, sed recensitos, purgatosque mendis, quæ sive amanuensium incuriâ, sive longâ seculorum oblivione irrepserant; denique illos è naufragio servasse, collectisque pretiosis reliquiis nova exemplaria exscripsisse, vetera pluribus in locis pristino nitore, adjectis etiam, si quæ opus erant, explicacionibus, restituisse. S. Irenæus l. 5, c. 25, post institutum de Septuaginta Interpretibus, quos S. Spiritu afflatos credit, sermonem, ut huic historie fidem concilet, ait, sacris Scripturis in captivitate fœdè corruptis, post elapsos servitutis annos, Esdræ divino Spiritu afflatus, à Deo sub Artaxerxe excitatum, præteritorum Prophetarum omnes rememorasse sermones, et restituisse populo eam legem, quæ data esset per Moysen. Hunc Irenæi locum integrum retulit Eusebius: sed major videtur textûs Græci originalis quàm Latini S. Irenæi vis; exprimit enim, Esdræ iterum veteres Prophetas ordine composuisse, et libros Moysis restituisse. Quare eorum unus haberi potest, qui primam opinionem de relictis ex integro sacris libris ab Esdrâ teneant; cùmque corruptionem Scripturarum appellat, non textûs aliquam depravationem intelligit, sed integrum illius excidium, quasi prorsus interierit. Idem Eusebius Præfat. in Psalm. et Comment. in Psalm. 72, non semel eâ se persuasione teneri innuit, Judæos sub regibus impiis incredibili Sacrarum Scripturarum oblivione adeò illas neglexisse, ut nulla apud ipsos legis Mosaicæ exemplaria, uti et vitæ pietatis monumenta, superfuissent. Et in Chronico ad annum 4740, ait: *Fuit Esdras eruditissimus legis divinæ, et clarus omnium Judæorum magister, qui de captivitate regressi fuerant in Judæam; affirmaturque divinas Scripturas memoriter (et sine ope librorum) condi-*

disse; et ut Samaritanis non miscerent, literas Judaicas commutasse.

An in eandem sententiam consensisse credendi sint Tertullianus et S. Hieronymus, ambigo; ille enim l. 1, de cultu fem. cap. 5: *Omne, ait, instrumentum Judaicæ litteraturæ per Esdræ constat restauratum; alter verò advers. Helvid.: Sive Mosem vocueris auctorem Pentateuchi, sive Esdræ ejusdem instauratorem, non recuso.* Aperiior est S. Chrysostomus pro sententiâ de reparatis tantummodò sacris libris, et exstantibus adhuc exemplaribus in unum corpus, cùm antea separati vagarentur, digestis. *Ingruit bellum, ait ille, hom. 8. in Epist. ad Hebr. omnes sustulerunt, considerunt: exusta fuerunt tabule: alium rursum virum inspiravit admirabilem, ut eas ederet, Esdræ, inquam, et ex reliquiis ab eo componi fecit.*

Parciùs etiam de Esdrâ Theodoretus, scribens solummodò illum Dei gratiâ plenum sacros libros, corruptos incuriâ Judæorum et maliâ Babyloniorum, recensuisse, ac Dei Spiritu afflatus Sacrarum Scripturarum memoriam renovasse, Præfat. in Ps. Sed Præfat. in Cant. Canticor. in eorum sententiam discedit, qui interdixisse sacras Scripturas premente captivitate contendunt. Ait enim: *Cùm libri sacri penitus interdidissent, quæ scelere Manassis, incendio exemplariorum et parte corruptis, quæ captivitatis infortunio; post aliquot annos evolutos, restitutum jam è captivitate populo, divinus Esdras sancto Spiritu afflatus omnes instauravit; hanc nobis planè necessariam operam præstans, ut ejus dono haberemus non Moysen tantummodò, sed et Josue, Judices, historiam Regum, librum Job, Psalmosque, sexdecim Prophetas, Proverbia, Ecclesiastem, et Cantica Canticorum. Si ergo, addit ille, Esdras nullâ exemplariorum ope, sed solâ sancti Spiritus gratiâ adjutus potuit omnium mortalium commodis libros istos scripturæ mandare; quæ vos audaci negatis, hunc librum Cantici Canticorum spiritualem non esse? etc. Hic sanè remotis ambagibus loquitur: quare et ipse cum cæteris, S. Basilio, S. Clemente Alexandrino, in sententiâ de instauratis ex integro sacris libris concessisse putandus est; non enim potuit luculentioribus verbis mentem suam aperire, ut quæ alibi obscure protulerat, ex his debeant lucem accipere. Itaque unus ex omnibus Patribus S.*

Chrysostomus in eâ fuisse sententiâ videtur, quæ dispersos antea sacros libros, exstantes tamen, recensitos, et in unum corpus reductos, repurgatosque ab Esdrâ existimavit.

Hæc tamen sententiâ, arctioribus licet finibus adstricta, nobis adhuc minùs arripit; vix enim persuaderi nobis potest, sacros libros veteris Testamenti omnes incendio corruptos fuisse, atque è reliquiis quibusdam Esdræ totum deinde sacrorum Bibliorum corpus instaurasse. Ex his enim necessariâ consecutione colligitur, sacros, qui nunc exstant, libros rudera quadam esse et reliquias veterum, qui intercederunt; vel si integros habemus, id nos Esdræ reparatori, et ea quæ deerant supplenti, debere. Quis in animum inducet, ante ejus viri adventum in Judæam, Zorobabelem, summumque sacerdotem Josue codicibus legis, collectione Psalmorum, annalibus gentis suæ, et scriptis Prophetarum, saltem præcipuis, caruisse? Cur gentem universam tantæ incuriæ desidiæque acceussemus? Non deerant profectò in captivitate homines et studio legis addicti, et in eo scientiæ genere excultissimi, qui nihil habebant antiquius, quàm ut ejus codices tuerentur. Quo credunt, Ezechielem, Daniele, Mardochæum, Estherem, Tobiam, aliosque illustres captivos id committere potuisse, ut legem sacrosque gentis libros manibus profanorum derelinquerent? Ubi unquam legimus, Chaldaeos, bello sacris Scripturis indicto, codices illorum igni et exitio tradidisse? Quâ olim curâ Jeremias et sacerdotes tenebantur, ut ignem sacrum et arcam cum altari thymiamatum et candelabro aureo in latebris servarent 2 Mach. 1, 19 et 2, 4; eademne sacras Scripturas tueri neglexissent, Scripturas, inquam, et sui pretio, et hominum astimatione illis rebus omnibus præstantiores? Tandem quò spectat elogium, in sacra Scripturâ et regis pagani testimonio Esdræ collatum (1), *Scribe nempe velox, et in sermonibus Domini eruditus*, si vel nullum legis tunc temporis monumentum, vel normis rudera quedam, et residuæ ex igne reliquæ supererant?

Qui verò aiunt, servatos tantummodò ab Esdrâ sacros libros, digestos sanctèque custoditos, quo tempore populus malorum captivi-

(1) 1 Esdr. 7, 6: *Ipsè scriba vetox in lege Moysi, et v. 2: Esdræ sacerdoti, scribæ eruditò in sermonibus et præceptis Domini; et v. 12: Scribæ legis Dei doctissimo.*

tatis curâ occupatus, cætera omnia negligebat, illi plurimum ab auctoritate quartæ Esdræ, abolitos penitus sacros libros testantis, recedant. Pseudo-Athanasius hanc sententiam, ex alio tamen, uti quidem inane videtur, acceptam, præfert (1). Idem auctor eodem loco, uti et S. Hilarius in præfatione in Psalmos, honorem collectorum Psalmorum in unum corpus, quale hodiernum exstat, Esdræ vindicat: nihil tamen uterque addit, quo ita conditos ab illo Psalmos indicent, uti auctor libri quartæ Esdræ testatur.

Sunt tamen huic opinioni, non secus ac præcedentibus, sua incommoda. Ponit enim, omnes sacrorum librorum codices, excepto codice Esdræ, penitus periisse, quod veritatis repugnare infra demonstrabimus. Ad hæc, persuasum habent assertores, libros sacros jam omnes scriptos fuisse ante captivitatem, atque ita digestos, quemadmodum nunc leguntur; quod repugnat iis quæ antea probavimus in Prolegomeno ad Josue, Judices, Reges, Paralipomena, optimisque criticis regulis, quarum ope plurima in his libris deprehendimus nonnisi post captivitatem adjecta.

Aliis est igitur eâ de re nobis philosophandum. Primò nullum haberi certum assertumque rationis momentum, quo sive reusos, sive collectos, sive instauratos sacros libros ad Esdrâ doceamur: omnia enim ex quarto Esdræ discimus, nullius fidei scriptore, ac testimonio Hebræorum, qui conditum ab Esdrâ canonem librorum sacrorum opinantur; simulque eorum numerum definitissè assensu totius cœtus, quem ipsi *magnam Synagogam* appellant: quâ quidem in re neque auctores nostri inter se, neque Judei secum ipsi conveniunt. Vide Geneb. in Chronic. Serar, Walton. Simon. Hist. Critic. veteris Testamenti. Neque Patres, hanc opinionem secuti, aliam possunt illi auctoritatem asserere, quàm quæ à primo auctore, unde cæteri hauerunt, derivatur. Quare nulla major habenda est illis, quàm quæ Pseudo-Esdræ fides: si verò submotus, recentiorum auctorum testimonium ultrò corruit.

II. Si quis post captivitatem libros sacros

(1) Auctor Synops. inter opera Athanasii: *Narratur et hoc de Esdrâ, quod cum libri per incuriam populi ac disturnam captivitatem perissent, ipse illos, cum vir esset honesti studiosus, industrius, et lector, apud se omnes custodiverit, et tandem protulerit, omnibusque tradiderit, atque ita servaverit.*

in unum corpus collegerit, id potius Nehemia, quam cæteris omnibus, tribuendum est; quippe quem bibliothecam collegisse (1) legimus. Paria de Judâ Machabæo, nupiam verò de Esdrâ legas, III. Nehemiæ studium emulatus Judas Machabæus, libros et monumenta omnia gentis suæ sedulo conquirit. IV. Ex ipsis sacris libris quales hodie exstant, argumenta adversus contrarias sententias colligimus, primam scilicet, quæ sacros libros ita in captivitate perisse asserit, ut ab Esdrâ instaurari debuissent; et alteram, quæ restituta docet Scripturas è reliquiis ab Esdrâ collectis; ac denique tertiam, quæ in communi exemplarium clade unicum ab Esdrâ servatum, ac deinde cæteris ab eo communicatum vulgatumque contendit. V. Inter S. Scripturæ libros alii nunquam ex Judæorum manibus recesserunt toto eo spatio, quod à Moysæ ad nostram usque ætatem fluxit, alii verò, quanquam serius, ante captivitatem tamen et deinceps innotuerunt; nonnulli demum, post captivitatem scripti, auctorem habent incertum; facile tamen ab Esdrâ, ope veterum monumentorum, adnotati.

Horum, quæ huc usque proposuimus, quædam in Prolegomenis ad singulos Scripturæ libros adductis argumentis jam demonstravimus. Pentateuchus ab ipsâ ætate Moysis nunquam apud Judæos cessavit. Post Josue, Judices, et Reges, præstò semper fuerunt annales, sive rerum ejus gentis memorabilium commentarii. Ex Davide auctore major Psalmorum pars accepta est, quæ deinde perpetuâ successione ad nos usque devenit. Salomonis ætate, cum librorum copia plus nimio crevisset, malum illud sapientissimus princeps deplorabat. Eccl. 11, 12. Ipse tamen plurimos exaravit, è quibus aliquos adhuc tenemus. Prophetarum scripta quis ignoravit unquam, cum vel ipsa editorum oraculorum ætas et tempus noscerentur? Scripta vix exemplaria, summo populi studio raptâ, exseriebantur. Omnis ætas utilitè ex Judæis viros scientiâ et religione amplissimos, quibus nec pietas deerat, nec studium servandæ historiæ, legum, hymnorum, et canticorum, quorum erat in templo usus; etiam prophetiarum lucubrationum, quæ res gestas, vices, et historiam gentis

(1) 2 Mach. 2, 13, 14: *Construens bibliothecam, congregavit de Regibus libros et Prophetarum et David, et epistolas Regum, et de donariis, epistolas scilicet Cyri, Darii, et Artaxerxis, qui templo dona obtulerant.*

complectebantur. Superest ut hæc omnia libris expendamus.

Scitum est, Moysen tum leges dictasse, tum pariter historiam veterum Patriarcharum, rerumque à se in privatâ vitâ, et in republicæ administratione gestarum. Ambigitur nunc, utrum libri, nomen Moysis præ se ferentes, genuinum illius opus habendi sint. Auctor apocryphus, sub Esdræ nomine latens, perisse genuinas Moysis lucubrationes, earumque loco alteras ab Esdrâ substitutas ait. Alii servata quidem Moysi scripta, sed contracta, interpolata et refecta censent. Utramque opinionem nos evertimus, id ostendentes, Hebræos semper ad manus habuisse Pentateuchum, quod nunquam Moysi non adscribere, nec unquam fieri potuisse, ut idem opus, quod ad libri substantiam spectat, sive intercederet, sive corruptum fuerit. Hæc autem ut probemus, duo ponimus, omnium confessione certissima: 1^a Moysen leges et historiam scripsisse, 2^a Jesu Christi ætate easdem fuisse leges et historiam, quæ hodiè Moysi nomine inscripta superest. Reliquum est igitur, ut totâ temporis intercapedine, inter Jesum Christum et Moysen, unquam eos libros sive corruptos, sive abditos, sive iterum procos fuisset demonstrarem. Nihil tamen moror levia quædam, quæ sive longioris temporis injuriâ, sive amanuensium oscitatione, sive tandem privatorum audaciâ in textum irrepserunt. Id enim vitii libris Mosaicis, quemadmodum et cæteris omnibus, quorum est remotissima antiquitas, commune est.

Universa Hebræorum historia, religio, et politia libris potissimum Mosaicis nititur. Perire igitur sive corrupti ejusmodi libri non potuere, dum politia, religio, historia gentis steterunt. Hæc verò nunquam à Moysæ ad Jesum Christum usque desierunt. Ratum igitur habeamus opus est nunquam eâ temporis intercapedine incommodum aliquod Mosaicis libros sensisse. Prima hujus argumenti propositio rata est et inconcussa; omnis enim historiæ et genealogiarum apud Hebræos ratio, amoto Moysæ, ignoraretur. Universa illorum respublica, tum et religio ad legum Mosaicarum normam dirigebantur. Qui verò integra Judæorum natio, florentissima, legumque et privilegiorum suorum tenacissima, studiosissima rerum suarum usque ad superstitionem, id committere potuit, ut leges suæ, tanti porro ad politiam momenti, intercederent?

Fac autem, sacerdotes et Levite, quorum

dignitas et census omnes ex eo libro pendebant, illum tamen neglexerint: an proinde judices, magistratus, principes, privatique omnes, qui et nôsse ipsi, et filios suos docere legem debebant, qui verba legis in liminibus domorum sculperet, qui brachio et fronti alligatam tenere, qui denique regna, urbes, provincias, familiam, ac se ipsos tandem ad normam ejusdem legis moderari jubebantur, perire illam passi fuissent? Debuissent profectò sui ipsorum, patriæ, religionis oblivisci prius quam eò desidia pervenirent. Debuisset universus Israel terga simul Domino vertere, atque in extremum furem, stultitiam, et impietatem ruere.

Totam quidem Israeliticam regni seriem intervallâ quadam obscura et tenebrosa interceperunt; reges impii numinum cultu vitati, sacerdotes corrupti, populus effrenis, atque in Dominum seditiosus: nunquam tamen diu vitium, nec ubique obtinuit. Deus enim nunquam non sive principes, sive sacerdotes, sive prophetas studiosos piosque submitit, qui afflictis religionis rebus succurrerent, vitium evellerent seseque veluti ageres firmissimos impietati et corruptioni opponerent. Populus, quanquam legum divinarum contemptor, in vitia et licentiam præceps, legibus tamen nonnullis preceps animo ad eò obfirmato, ut dimoveri nullâ ratione posset. Neque enim deserere Deum penitus volebat, sed ejus obsequiis pro arbitrio servire: et in ipsâ licentiâ, cultuque superstitioso, si quis sive Moysi sive ejus gloriæ detrudere quidquam, vel minimam aliquam litteralam è textu legis abradere, ipsamve legem aliquâ de re arguere ausus fuisset, extremum vitæ periculum in suum caput ab universo populo excitasset. Id enim naturâ apud plerisque mortales comparatum est, ut superstitionem in impietate retineant, studiumque profiteantur ejus religionis, quam moribus deturpant et ad insaniam usque legum in custodiam ferantur, quas moribus tamen destituunt. Hæc Hebræorum imago.

Nihil antiquius habet Moyses, quam ut studium et meditationem legis commendat. Ejus exemplum rex apud se habet, Deut. 17, 18; singulis septenniis in festo Tabernaculorum lex coram populo legatur, ibid. 31, 10; legis autographum in religiosissimo loco Tabernaculi, in Sanctuario scilicet, servetur, ibid. v. 26; ne quid vel minimum addatur detrahaturve, Deut. 4, 2. Sacerdotibus nihil in iis

libris ignotum esse debet, tum ut ministerii sui caeremonias callerent, exhiberent ordinem genealogiæ suæ, juraque sacerdotii sui nôssent; tum ut jus populo dicerent, utpote quibus juris dicendi provincia à Moysæ commendata fuisset. Privati verò Israelitæ, ne feminis quidem exceptis, eos libros nôsse debebant, cum plura servare jubentur quorum aliqua ignorare sine capitis dispendio non licebat. Patresfamilias ita docere filios suos tenebantur, ut simul ipsi omnia scirent, cum Moysi lex vel minimos regionis suæ mores Judæis indigretet.

Vix Josue populi regimen cepit, hæc illi Dominus imperavit, Jos. 1, 8: *Non recedat volumine legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus.* Idem verò Chanaanitidem divisit, ac expeditionem in Chananeos juxta Moysi præscriptum suscepit. Frequenter Moysi, ejusque facinorum et legum meminit; nec silet divisionem ab eo factam regionis transjordanicæ, pulsus regibus Amorrhæorum Jos. 4, 13. Si altaria erigit in monte Hebal, et Garizim, Jos. 8, 31; Deut. 18, 5, jussioibus Moysi pare; si urbes sacerdotibus et Caleb destinat, legislatori obsequitur Jos. 45, 15; nihil denique omisisse eorum quæ à Moysæ statuta fuerant, maxima viri hujus in sacrâ Scripturâ laus est, Jos. 11, 12... 15. Paulò ante mortem populum his verbis hortatur, Jos. 23, 6: *Estote solliciti, ut custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Moysi.* In postremo tandem operis capite (1) totam historiam revocat à Thare patre Abraham usque ad Moysen et Aaronem, in quâ strictim persequitur gesta omnia Moysi, quæque deinceps Deo auctore ipse Josue pro populo præstiterat. Legitur ibidem historia renovati inter Deum et populum fœderis, quod populus, datâ fide nunquam à lege et præceptis Mosaicis recedendi, veluti obsignaverat. Hæc autem omnia in volumine legis Domini scripta fuere. Erat igitur sub Josue lex Moysi, omnibus æquè Israelitis exploratissima; cujus præscripto dirigebantur. Ipsi tandem Chananæi pro Moysæ testantur; latent enim Deum Moysi servo suo Chanaanitidem promississe, Jos. 9, 24.

Sub judicibus frequens mentio occurrat de exitu ab Ægypto, de legibus Domini, penatque in refractarios incessit. Deus adversariorum manibus Israelitas permisit Jud. 5, 4, ut in

(1) Josue 24, 2 et 26: *Scriptis omnia verba hæc in volumine legis Domini.*

ipsis experiret Israel, utrum audiret mandata Domini, quae praeceperat patribus eorum per manum Moysi. Jephte fusè prosequitur res gestas à Moysè cum Ammonitis, Moabitibus, et Idumæis, cum Israelitas in Chanaanitidè duceret; quo argumento jus Israelitarum validissimè firmat ejus regionis possessiōndæ, quam æquissimo jure Judæos occupasse, hostes ipsi Mosaicorum operum lectione nōsse poterant Jud. 11, 12. Quantum etiam diū post valeret leges nedūm in sacris, verūm etiam in politicis, illustri testimonio apud Ruth 4, 7, et Deuter. 15, 7, intelligimus. Contrarium ex historiā summi sacerdotis Heli 4 Reg. 2, 22, colligitur, cujus filii divinas leges susdeque miscebant; et ex Dei animadversione et querelis populi adversus illos satis demonstratur, quo studio Israelitæ per id temporis legem servarent. Samuel 4 Reg. 7, 5, ad normam legum Mosaicarum jura populo dabat, eā integritatis et prudentiæ famā, ut impudē exprobrārit populo ingrati animi vitium, non modò adversus præstita à se beneficia, sed ea pariter, quæ Dominus contulerat, cujus ope ex Ægypto educti in Chanaanitidis possessionem devenerant. Denique sub judicibus et regibus 1 Reg. 12, 6, etc., passim in memoriis Israelitarum vel secessus ab Ægypto, vel prodigia à Moysè patrata, vel ejus leges revocantur. Ad harum normam reformata est politia. Harum sive contemptum, sive omissionem Deus severā animadversione punivit. Erant igitur apud univèrsam latè populū assertæ leges, et exploratæ.

Nihil antiquius habuit David, quàm ut divinas illas jussiones sanctissimè servans, custodiendas pariter religiosè filio suo Salomoni paulò ante mortem commendaret: *Ut custodias ceremonias ejus, et præcepta ejus, et judicia, et testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi.* Salomon in Proverbiis (1) frequenter legis mentionem, addito etiam elogio, inducit; ejus lectionem, studium simul et exercitium commendat; tum in sua ad Deum post dedicationem Templi precè amplissimis verbis prædicat liberatam à Deo fidem omnem promissionum, quibus Moyses sese populo obstrinxerat 5 Reg. 8, 52. Mentio etiam sub eo rege occurrit tabernaculi à Moysè in deserto erecti, 4 Paral. 21, 29, et 2 Paral. 1, 5, nihilque in arcæ servari traditur, quàm tabulas legis Mosaicæ 5 Reg. 8, 9, et 2, Paral. 5, 10. Templum denique, sacra vasa, et

(1) Proverb. 1, 8, et 5, 1, 21, et 4, 2, et 6, 30, et 23, 4, 7, 9, etc.

sacri ministerii ordo testimonium pro lege ferunt apertissimum.

Cum Joas rex inauguratus est, *imposuerunt ei didactica et testimonium, dederuntque in manu ejus tenendam legem*, 2 Paral. 23, 11. Amasias filius Joss neci dedit sicarios patris sui, filius verò pepercit, 4 Reg. 14, 6, et 2 Paral. 25, 4, *juxta quod scriptum est in libro legis Moysi: Non morientur patres pro filiis, neque filii morientur pro patribus.* Tandem Ezechias dejecti jussit anguem anem, olim à Moysè in deserto erectum; quippe qui Israelitis offendiculum et cultus superstitiosi occasio fuisset, 4 Reg. 18, 4, Num. 21.

Quæ de autographo legis sub Josiâ scripto feruntur 4 Reg. 22, 8, 2, Paral. 34, 14, omnibus exploratissima esse arbitror. Josias legum Mosaicarum tenacissimus fuisse celebratur, 4 Reg. 22, 25, et cum reformandam religionem atque politiam suscepit, solam legum Mosaicarum normam sibi proposuit. Vide 2 Paral. 35, 18; 24, 6; 50, 16; 51, 2, 5; 55, 6, 12. Josaphat disciplinam in provinciam reducere aggressus, misit optimates, sacerdotes et Levitas per omnes urbes Juda et Benjamin, *habentes librum legis Domini*, ut consona legi Mosaicæ docerent atque statuerent, 2 Paral. 17, 9.

Cum Jeremias fratres suos in captivitate mox ducehdos convenisset, librum legis secum deferendum servandumque iis tradidit, 2 Mach. 2, 2. Non desunt inter eruditos (1) qui credant, datum esse Cuthæis legis Mosaicæ exemplum ante captivitatem; constat enim adhuc apud illos servari legem, antiquis Hebræorum characteribus scriptam, quorum erat usus ante captivitatem: certè illud ab Judæis accepisse vix credimus, cum infestissimi ejus gentis adversarii habeantur. Versabantur igitur libri legis in manibus principum et populi sub regibus Juda usque ad captivitatem; ex quo sanè intelligimus, nunquam ad id usque temporis fieri potuisse, ut ejus exempla corrumperentur sive abolerentur.

Quoniam major erat in regno Israël quàm Judd licentia, non ita tamen reputandum est, legem prorsus apud eas gentes interuisse. Florebant enim apud illos magno numero prophætæ, ejus studio et observantiæ penitus addicti. Elias, Elisens, eorumque discipuli, frequentes illi oppido, 4 Reg. 18, 58; nihil antiquius habebant, quàm ut in Prophetarum coetu libros sacros incorruptos servarent.

(1) Vide ad 4 Reg. 17, 27 et seq.

rent. Osee, Ahias, Jonas, Amos, alique plures in eodem regno versabantur; et cum rerum potiretur Achab, corruptissimus princeps, quo tempore alta erat, si unquam alias, legis oblitio, plures tamen Israelitarum myriades integram incorruptamque religionem suam et Domino fidem servaverant, 5 Reg. 19, 18. Coetus religiosi habebantur apud Prophetas singulis sabbatis et Neomeniis, 4 Reg. 4, 22, 23, in quibus lectioni et expositioni legis Domini populus vacabat. Joram successor Ochoziazæ et Joas Joazhazi nullà certè eximîâ virtute coruscabant. Dominum tamen verebantur, prophetas observabant, neque sub eo Domini memoria penitus obsoleverat. Sub Jeroboamo II, publicis legis cultus in quibusdam rebus obtinebat. Sacrificia in editis locis offerebantur, et religiosæ peregrinationes instituebantur ad loca visionibus Domini, sive morâ Patriarcharum religiosâ; primitiarum et decimarum tributum ratum sanctumque habebatur, festa et sabbata servabantur, canonicisque Domini loca sacra insonabant. Ergone putamus probos illos Israelitas, viros prophetiâ amplissimos, Eliam, Elisem, Osee, Amos, Ahiam, Jonam, Tobiam, Mardocheum, Giez, conjuges hospites Elisei, aliosque plurimos librorum sacrorum ope ita destitutos, ut ne illos quidem nossent? Nihil moror Annales regum Israelitarum, quos velut incorrupta certissimæ fidei monumenta in regno decem tribuum servatos esse constat, quique frequenter in Regibus et Paralipomenis laudantur. Tandem sacerdotem sive Levitam ab Assaradone ad docendos Cuthæos vel Samaritanos missum, legis codicem, quem nostrâ etiam ætate servant, illis tradidisse scimus. Erant igitur apud Israelitas captivos, apud quos hic sæcerdos tenebatur, legis Domini exempla.

Frequens in Psalmis mentio legum et historiae Judæorum: hinc illustri satis documento intelligimus, ipsâ Davidis cæterorumque, qui divina illa cantica scriperunt, ætate, leges et historias Hebræorum exploratissimas in republicâ Judaicâ fuisse. Idem non uno in loco inveniunt libri Prophetarum. Vide, v. g., Isai. 65, 10, etc. Jerem. 45, 1. Mich. 6, 1: nunquam illi non arguant Israelitarum in legem pervicaciam criminâ, populosque ab his legibus aberrantes ad viam revocant; hortantur, ut ad Deum tandem conversi pristina consilia suscipiant: exempla veterum patrum obficiunt. Prophetarum verò oracula nec obscura erant nec incognita, cum pro concione palam

in templis et in cœtibus religiosi præ foribus palatii et urbis, sive in foro loquerentur. Porrò vaticinia sua scribentem prophætâ, adjectis temporum adscriptioibus; eadem omnium modis terebantur; nonnulli etiam in annales gentis relata, servabantur: nec in annalibus modo, sed privati illorum exempla apud se habere studebant; quemadmodum olim apud profanos summâ curâ colligebantur oracula de majoris momenti rebus, quæ vel ad pollitum urbium statum, vel ad provincias, regna, clarissimasque familias spectabant. Post tantum libros Prophetarum servandi curam, intercedere unquam illi potuere? Porrò Juddæi in ipsâ captivitate, ne talia negligerent, multo impensior curâ cavere debuerunt, cum de libris ageretur, in quibus ut oracula de imminentibus genti malis et captivitate descripta fuerant, ita etiam de futurâ mox præstitulo tempore felicitate apertissimis vaticiniis monebantur.

Juvat etiam nostrum argumentum Proverbiis Salomonis, et genealogiæ in Paralipomenis insertæ; sed argumenta hæc usque ex historiis deducta satis propositum evincere arbitror.

Historias Josue, Judicum, Regum mansisse incorruptâ fide usque ad captivitatem, nullo negotio demonstratur. Nihil enim in omnibus historicis monumentis frequentius, quàm statuta olim tribuum distributio; nunquam non urbes suæ tribui, cui olim addictæ fuerant, assignantur; quæ si fortè in alias tribus transierint, id sedulo in iisdem libris exprimitur; ita Siceleg, urbs olim Simeonis, deinde munere Achis regis Geth in sortem Davidis, adeoque et regum Juda transiit, 1 Reg. 27, 6. Pristina Israelitarum historia non rarò breviter colligitur: Samuel totam fermè illius seriem complectitur, 1 Reg. 15, 11. David Abimelechum filium Gedeonis in exemplum adducit, 2 Reg. 11, 21. Judic. 9, 55. Revocatur etiam in memoriâ maledicta ab Josue in eos pronuntiata, qui restituendæ Jerichuntis consilium iniuri fuissent; quæ omnia in caput Hielis et Bethæ recidisse narrantur, 5 Reg. 16, 54. Psalmi totam prorsus historiam Judæorum complectuntur. Vide Ps. 6, 21, et 98, 6; 102, 104, 105, et 82, et 77, 1. Paralipomena, quæ ex veteribus cœvisque monumentis expressa esse, ne dubitamus quidem, brevibus verbis plura veterum historicorum gesta commemorant. Quare constantissimè as-

serendum est universam Judaeorum historiam perpetuam connexam serie sibi optimè constare, eique scribendae operam navasse viros cœvos, et fide spectatos; mansisse verò incorruptam, saltem in commentariis ac publicis annalibus, ad eam usque ætatem, quâ libri, ad nos usque derivati, à sacris auctoribus exarati sunt. Cum igitur libri Regum et Paralipomenon post captivitatem primò litteris mandati fuerint, quemadmodum nos in Prolegomenis ad singulos eos libros demonstravimus; ineluctabili planè argumento constat, annales incorruptos et autographos ejus gentis usque post captivitatem inviolatos mansisse. Hos autem annales consulebat, eosdemque modò laudabat, modò exscribebat, modò consulendos lectoribus indicabat auctor, cum eas lucubrations daret.

Post demonstratam integram assertamque librorum sacrorum apud Judæos, à Moysè usque ad captivitatem Babylonicam, possessionem, levè certè negotio eandem à captivitate usque ad Jesum Christum deducimus. Superius jam animadvertimus, ne verbo quidem in sacra Scripturâ innui, reges impios, sive qui apud Judæos, sive qui apud hostes ejusdem gentis regnârunt, bellum non minus genti quàm sacris libris indixisse. Jeremias, uti supra innuimus, Judæis, mox Babylonem in captivitatem traducendis, volumen legis tradidit. Exemplum sanè aliquod ejusdem legis sibi suisque retinuisse censendus est. Sacerdotes et Levitæ nunquàm iis libris caruere, quippe qui singulis sese consulentibus paratos se exhibere tenerent (1). Servata etiã ab illis fuere cantica, et musica instrumenta, in usum templi olim destinata; Babylone enim versantes Judæi rogabantur, Psal. 136, 5: *Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ?* Ultrò fatetur Daniel 9, 11, 15, omnia, quæ in impios pronuntiantur à lege Moysis mala, in caput Judæorum cecidisse. Baruch captivos Babyloniæ alloquens, Moysis legem et libros, historiamque universam populi Dei breviter colligit, Baruch. 4, 19, 20, et 2, 1, 11, 28, 29. Daniel oracula Jeremiæ legens, penitiores illorum sensus scrutabatur, Daniel, 9, 2. Cyro indicatum fuisse Isaïæ vaticinium, quo idem ipso nomine designabatur, Josephus, Antiq. l. 1, c. 1, est auctor. Cum judicialis potestas, apud Judæos Babylone versantes maneret, Daniel,

(1) Malach. 2, 7: *Labiæ sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus.*

15, 5, desitutos illos legibus Moisaicis, ad quarum normam omnis eorum politia dirigebatur, quis credat? Quis sibi persuadeat fieri potuisse, ut Mardocheus, Esther, Tobias, Ezechiel iis libris et gentis suæ historia careret? Profectò apud Danielem legimus, Susannam legum Moisarum præcepta edoctam fuisse, latamque in ejus accusatores ex præscripto ejusdem legis sententiam, quippe qui ex Moysis sanctione poenâ talionis damnati sunt. Deut. 19, 18.

Unde verò componenti libros Regum et Paralipomenon suppetebant ea, quæ in ordinem redigeret, vetera monumenta, si nulla in captivitate supererant? In epistolâ Artaxerxis testimonium ferri de Esdrâ, viro assidue legem Dei sui versante, superius animadvertimus, 1 Esd. 7, 14, 25. Cavet insuper idem rex, ut dicto ejusdem legis morigeros se præbeant et iudices juxta legis statuta eligantur; ac tandem ipse de se Esdras testatur, cum Babylone versaretur, parasse cor suum, ut *investigaret legem Domini, et faceret, et doceret in Israel præceptum et iudicium*. Inde gloriosum viro cognomen *Scribæ velocis*, seu legem Dei sui callentis. Cum verò ille Hierosolymam repeteret, una secum exempla legis attulit; et post reditum Nehemiæ, *diserunt Esdras scribæ, ut afferret librum legis Moysi, quam præceperat Dominus Israeli. Attulit ergo Esdras legem coram multitudine*, etc. Malachias, omnium Prophetarum ordine temporum novissimus, quippe qui post captivitatem scribebat, populum hortatur: *Mementote legis Moysi, servi mei, quam mandavi ei in Horeb*. Malach. 4, 4.

Nehemias, ut superius animadvertimus, bibliothecam Hierosolymæ instruxit, in quâ nihil desiderabatur omnium, quæ ad reges, Prophetas, et David pertinebant, 2 Mach. 2, 43. Circa annum mundi 5872, Joseph filius Ozielis ex Hebræo in Græcum transtulit avi sui Jesu filii Sirach librum, *Ecclesiastici* nomine inscriptum, in quo legis, Prophetarum, et historiæ Judaicæ summa colligitur. In eo libro, constitutis optimis quàm pluribus morum regulis, historicum elogium complurium præstantissimorum veteris Testamenti heroum instituitur. Character ibi et epitome exhibetur gestorum Henochi, Noemi, Abrahami, Moysis, Aaronis, Phineis, Josuæ, Calebi, Samuelis, Nathani, Davidis, Salomonis, Eliæ, Elisei, Ezechiae, Isaïæ, Josiæ, Jeremiæ, Ezechielis, duodecim minorum Prophetarum,

Zorobabelis, Jesu filii Josedecei, Nehemiæ, Henochi, Sethi, Semi, Simonis filii Oniæ summi sacerdotis, ac tandem Jesu filii Sirach auctoris ejusdem libri, et avi illius, qui operis versionem aggressus est. Judas Machabæus bibliothecam instruxit, in quâ libros omnes collegit, qui post belli cladem supererant, 2 Mach. 2, 14.

Antiocho demùm Epiphane Judæos vexante id factum est, quod alias nunquàm acciderat, ut bello sacris Scripturis indicto, exempla omnia igne absumenda, dilaceranda, 1 Math. c. 1 et 2, sive imaginibus deorum appictis violanda, sedulo inquirerentur. Cum autem Machabæi in Maspha coetum indixissent, ibi coram Domino libros sacros à militum furore subduetos aperuerunt; datisque ad Lacedæmones litteris, nihil se tot malis afflictos solati nisi in lectione sacrorum librorum capere posse significarunt, 1 Mach. 12, 9. Habebant igitur Machabæi divinarum Scripturarum collectionem.

Versio Græca Septuaginta adornata anno mundi 3727, sive illa omnes æquè sacros Judæorum libros contineret, uti veterum pleuricè censuere, Justin. Cohort. ad gent.; Iren. l. 5; Tertul. Apolog., cap. 18; Clem. Alex. Strom. lib. 1; Cyrill. Catech. 4, etc. sive tantum quinque libros Moysis, quæ aliis sedit opinio; Joseph. Procem. Antiq. et lib. 12, cap. 2, cont. Apion.; Hieron. Quæst. Hebr. in Gen. Talmudici (nihil ego in eâ re affirmo) illustri satis documento libros Hebræorum jam ante Jesu Christi ætatem Græcis innotuisse demonstrat. Constat autem inter omnes, eâ jam ætate certum fuisse illorum librorum numerum, et quem appellant Ca-

nonem Scripturarum, exactum absolutumque fuisse.

Ille perpetuâ traditionum et auctoritatum serie docetur, à Moysè ad usque Jesu Christi ætatem semper apud Judæos librorum sacrorum depositum mansisse, ut qui illorum auctorem Esdras invehant, pugnantia illi planè et falsa constituent. Nunquàm enim apud Hebræos Scriptura desit, neque ut fœdibus corrumperetur, sive prorsus supprimeretur, fieri unquàm potuit. Si scripti à Moysè libri ad captivitatem usque manserunt, quid alios proculdubitat? Si integrum opus manebat, cur in epitomen, quod criticis nonnullis visum est, redigendum erat? Profectò qui operis alicujus epitomen adornat, ille repetitiones omnes, quæ tamen apud Moysen frequentes sunt, evitat; semper enim ad ulteriora stylum urget, nullumque parergon miscet. Planè si Mosaicum opus breviate auctor voluisset, poterant Mosaica omnes repugnationes impunè omitti. Si quis verò operi manum admoveat, sive correcturus, sive sententiam inversurus, sive denique quidquam subducturus adjecturusque, ausus fuisset, ille certè populi universi furorem in caput suum provocasset. Dehisset ille omnia apud se exempla servare, vel tantâ pollere auctoritate, quantâ opus fuisset, ut castigations suas approbaret, recipiendasque curaret omnibus per universum latè orbem dispersis Judæis, exempla servantibus, per Ægyptum scilicet, Babyloniam, Persidem, Mediam, Syriam, Cappadociam, insulas, Palestinam, cum Esdræ ætate Judæorum gens omnia ea loca frequenter.

(CALMET.)

AN ESDRAS VETERIBUS CHARACTERIBUS HEBRAICIS

CHALDÆOS SUBSTITUERIT,

Dissertatio.

Quæstio de origine et vetustate characterum, quibus Judæi nostræ ætatis utuntur, viros doctissimos in partes jam inde à pluribus annis, nondum etiã finitâ lite, distraxit. Nec magis inter doctores Hebræos eâ de re convenit, quàm inter eruditissimos Christia-

nos utriusque communions scriptores; adhuc enim inter Protestantes, uti et inter Catholicos, sub iudice lis est; et arduum problema, diù multumque exagitatam, in medio relinquitur. Quæ cum ita sicut, audaci prorsus consilio sententiam in eâ re nostram, tan-